



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Parentum peccata à filijs punita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

posito cibo. Neque satis habuit, hæc fecisse; sed insuper lectum illi suum vxorisque suæ (ad exemplum coniugis ita antea parentes ipsius honorandos arbitratæ) apparauit, & ipse humi cubitans, in necessitates hospitis tam malè valentis, vigilauit. Paulum temporis quienerat leprosus, cùm cœpit, carbunculi instar fulgere, ac mirifico splendore conclaue totum perfundere. In hac luce & ipse iam, velut rosens iuuenis refulgens, cælum conscendens, venisse se dixit, vt illi significaret, *remissum esse peccatum illius*. Paulò post Iulianus & coniux pia morte defuncti, ab eo, in cælo, excepti sunt, quem, quia, in terris hospitem habuerunt, *Hospitum* nomen iure meruerunt.

Credibile est, multa Dei iudicia, hæc vna historia esse hominibus patefacta. Nam quis scit, an non Iuliani parentes nimio filij amore, deliquerint? *Confusio patris est, de filio indisciplinato*. Indisciplinatum fuisse, inde quis coniecerit, quòd relictis alijs vtilioribus negotijs, eum permiserint, instar Esau, vitam venatoriam agitare, idoneum, qui bono publico vacaret. Vnde & inter venandum, & à ceruo prodigiosè loquente est admonitus. Certè, *Qui diligit filium suum, asiduat illi flagella, vt lateat in nouissimo suo. In vita sua vidit, & latatus est in illo: in obitu suo non est contristatus*. Sed meliora vt cogitemus, suadet Iuliani fuga & sollicitudo, qua parricidium conatus est declinare. Minus vaticinantis cerui prædictionem formidasset, si malè fuisset educatus. Bona autem educatio, bonorum est parentum non debile argumentum. Interim tamen & boni parentes nauos habere possunt & peccata, quibus, in diuinis oculis, ab ipsis filijs plecti mereantur. Debet filijs amorem mater: debet curam nato pater. Nimius tamen amor, & nimia cura transit in vitium à Deo puniendum. Potest amissa soboles quæri, quippe cùm Christum quoque eius Mater & Iosephus quæsierint amissum; sed *requirebant cum inter cognatos & notos; & quærebant puerum*. Officium hoc erat materni & paterni nominis, non affectus carnis. Fuit & amissa Proserpina à Cerere

Omnibus in terris, omni quaesita profundo,
fuit & Osiris quaesitus, sed sacrilega religione. Potest ergo quæri aliquis piè, vel impiè. Quare & Iulianum parentes bona, vel

IX.

Eccli. 21. 3

Eccli. 30. 1.

Ibid. v. 5

Luc. 2. 44.

mala mente quærere quierunt; quemadmodum multi parentes filios suos non rarò quærunt, vt eos vel à ganea abducant, vel è religioso ordine ad mundi vanitatem retrahant, quos plerumq; postea habent vitæ suæ, si non carnifices, saltem tortores. Sed demus, nihil quaesierint Iuliani progenitores cum peccato; quis credat fuisse adeò innocentes, vt diuina iustitia nihil in eis reperit pœna dignum? Et forsitan hæc ipsa pœna beneficium extitit: cum leuissimo Purgatorio, nulla violenta mors sit comparanda.

X.

Sed hæc disputare non est huius loci. Illud, illud hîc iterumq; iterumq; monebo, quanti sit, apud Deum, meriti, miseris succurrere, ægrotos eiulantes non surda aure transire; eos, si adsint, non amoliri; si absint, accersere, in tecta tua inuitare, ijs necessaria ministrare. Hoc est, quod Isaias ait: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Nullum hîc faciendum est discrimen, Notus sit, an ignotus, homo est, quem in via inuenis saucium. Impone illum iumento tuo. Deporta ad hospitium, & curam illius haberi jube. Caro tua est, tuæ est naturæ. Nonnè vides, canes ipsos, si in venatu læsi sunt, lingi à canibus? bestia curat bestiam, & hominem homo negligit? In Vitis Patrum, frater aliquis interrogauit senem quemdam dicens: *Si videro fratrem, de quo audiui aliquam culpam, non possum suadere animo meo, vt introducam illum in cellam meam si autem videro bonum fratrem, ipsum libenter suscipio.* Et dixit ei senex: *Si facis bonum fratri bono, illi parum, alteri duplum impende: ipse est enim qui infirmatur.* Et plus facis, si facis aliquid ei, erga quem afficeris minùs. De magnis benefactoribus cum ageret Seneca, ista scripsit. *Quid assedisse agro, & cum valetudo eius ac salus momenti constaret excepisse idonea cibo tempora, & cadentes venas vino refecisse, & medicum adduxisse morienti? Hac quis astimabit? quis similibus beneficijs jubebit beneficia pensari?* Apud Xiphilinum, & Dionem Niceum, Cn. Pompeius Magnus, cum, post bellum cum piratis gestum, in Asia non tantùm Mitridatem Armenia Regem potentissimum vicisset, sed fugasset etiam penitus: urbem Nicopolim in eo agro, in quo victoriam peperit, ædificauit: in eaque saucios

Ma 38. 7.

Heribert.
Rolvveid 1,5
de vitis PP.
libell. 17.
n. 23.

Senec. lib. 3.
de benef. c. 9.